



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

17. Tres fugiunt in Aegyptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Poplite curvato Matrem inter, & inter Joseph
 Pastorum est pietas ter venerata Deum.
 O Bethleem felix! in cœlum [a] verteris, in te
 Æmula cœlesti cernitur ecce trias.

(a) S. Bern. serm. 1. vig. Nat.

alleg. Bethleem est templum, præsepe altare, Christus hostia, panni & fasciæ
 corporale, Deipara sacerdos, Joseph & pastores Christiani astantes.

SYMBOLUM 17.

Tres iidem fugiunt in Ægyptum

Non fugit Herodis Jesus formidine, verum
 Motus honore Patris, tactus amore mei.
 Mox ubi Niliacas Regum Rex attigit oras,
 Falsorum pulsa est impia turba Deum.
 Hæc humana trias divinæ instaurat honores,
 Nos decet & falsis vertere terga Deis.

SYMBOLUM 18.

Trium Magorum tria munera. Matth. 2.

Regia majestas Æois excita terris
 (a) Ter gemino Triadis munere signa refert.
 Supremus Genitor fulvo præfulget in auro,
 Est incarnato debita myrrha Deo.
 Ignibus injectum gratos thus fundit odores,
 Hujus odore fragrat Flamen, amore flagrat.

[a] Sic quasi trium munerum Trinitatis perfecta confessio, credatur a nobis una Divinitas sine confusionis separatione distincta, Pater & Filius & Spiritus S. unus Deus: credantur tres persona, sed non tres substantia. Quantum autem ad cœlestis nature ordinem pertinet, in Patre & Filio, & Spiritu sancto ita consistenda est una divinitas, ut nec singularis putetur in Trinitate persona, nec triplex in Unitate substantia, sed ita assignetur pluralitas Unitati, ne Trinitati subtrahatur aequalitas. S. Aug. serm. 39. de temp. alias tom. 10. fol. 135.